



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ioannis|| Climaci Ab-||batis Montis|| Synai,|| Scala Paradisi

Johannes <Climacus>

Coloniae, 1583

VD16 J 520

Dictum Abbatis Eliæ solitariij. Capvt LII.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55433)

& in trutinis simus, vt iudicemur. Et sequenti die ignis apparuit in caelo.

- 1 *Vides consuetudinem horarum nocturnarū apud Nachos antiquissimam.*
- 2 *Ecce quomodo Sancti, & beata Virgo orant pro nobis.*

Vita Iuliani senis monasterij Aegyptiorum.

C A P V T L I.

A Nazabus metropolis est secundae Cilicium prouinciae. Ab hac ferè duodecim millibus distat monasterium, quod dicitur Aegyptiorum. Narrauerunt ergo nobis Patres eiusdem loci, quod illic ante annos quinque mortuus esset senex, Iulianus nomine, qui circiter annos LXX in quodam breui i speleo moratus esset, nihil omnino seculi istius possidens præter cilicium, & flagum, & vasculum ligneum, & librum.

Dicebant autem nobis & hoc de ipso, quod toto vitae suae tempore non accendit lucernae lumen, sed per noctes & caelitus illustrabat eum lux, ita vt clare legere posset.

- 1 *Videntur antiqui monachi viderentur cella perpetua & altissime paupertatis essent diligentes obseruatores.*
- 2 *Si monachismus Deo non placeret, nequaquam nõ caelitus illustratus esset sanctus pater.*

Dictum Abbatis Eliae solitarij.

C A P V T L I I.

Venit frater quidam ad Abbatem Eliam solitariū in cenobium antiqui patris Solae & dixit ei: Dic mihi verbumpater. Scitauit verò dixit fratri: Diebus patrum nostrorum

istæ virtutes in amore, & studio apud monachos erant. Nuditas i re: um omnium, mansuetudo, & continentia: nunc autem auaritia, gula, & audacia. Quod horum tibi placet arripe.

¹ Ecce quæ reddebant antiquos monachos commendabiles.

Vita senis Cyriaci ex monasterio sancti Sabæ.

CAPVT LIII.

Narrauit nobis Abbas Stephanus de quodam sene morante in monasterio sancti patris nostri Sabæ, nomine Cyriaco, quod die quadam descenderit Tuthelam, parumque remoratus circa mare mortuum, rediit iterum ad cellam suam. Cum vero esset æstus vehementissimus, ita vt senex penè deficeret, extendens manus suas in cælum ad Deum, orauit dicens: Domine, tu scis quia iam præ siti ambulare non possum. Statimq; nubes circa illum facta est, neq; recessit ab eo, quamdiu restitueretur cellæ suæ. distabat autem à cella miliaribus ferè duodecim.

Idem Abbas Stephanus, & hoc nobis de eodè sene narrabat, quod venerint sui die quadam vt illum viderent. Cum ergo venissent ad locum, quærebant ipsius cellulam, quam dum quibusdam ostendentibus didicissent, ad euntes pulsauerunt ianuam. Quibus cognitis, senex Deum orauit, ne ab ipsis videretur. Et aperiens ianuam, exiit de cellula sua, & ab eis penitus 2 visus nõ est. Abiensq; in desertum, redire tandiu noluit, donec illos recessisse cognouit.

¹ Nota orationem cum manuum extensione ad cælum, & illius exauditionem.

² Ecce mirabilem fructum orationis.